

*Aleijimo Juvante!*

31

SPECIMEN ACADEMICUM,  
DE

# USU NOTIONUM DIRECTRICIUM

IN ARTE MEDICA,

CUJUS PARTEM PRIOREM,

Consent. Ampliss. Facult. Philosoph. In Regia

Acad. Aboënsi,

SUB AUSPICIO

VIRI Maxime Reverendi & Amplissimi,

DN. C A R O L I  
MESTERTON,

S. S. Theol. DOCT. nec non Log. & Metaph. PROF.

Reg. & Ord.

*Venitlandum modeste sifit*

MARTINUS FRIDERICUS BOTHNERUS,

F. D. M.

Die XX. Junii Anno MDCCCLIII.

L. H. Q. S.

---

ABOÆ, Impressit Direct. & Typogr. Reg. Mag. Due.  
Finland. JACOB MERCKELL.



§. I.

**N**otiones ontologicas directricium nomine insigniri volumus propter singularem excellenterque earum umerum, quem in variis conferunt disciplinis. Notiones enim ontologicæ nostrum dirigunt intellectum in veritate cognoscenda, sive ea a nobis investigari, sive ab aliis investigatae dijudicari debet. Si jam haec notiones ontologicæ nostrum dirigunt intellectum in veritate cognoscenda, patet eas jure meritoque directrices nominari posse. Atque ita per notiones directrices intelligimus eas, per quas apparet, quo cogitationes sint dirigendæ, ut reperiatur, quod queritur. Notiones adeo directrices viam quasi monstrant, quae sit eundum, ne ad devia deflectamus, vel lucem affundunt, ut via illa appareat, quæ absque illis minime conspicitur. Elle illas maximi momenti non nemo fatebitur, cum hac luce destituti, quasi in tenebris obserremus, ut calui tribendum sit, si veritatem palpando veluti deprehendamus.

§. II.

## §. II.

**U**T igitur usus notionum directricium patet clarius, exemplo quodam illustrabimus: si quis e.g. rationem querit, cur sol oriatur & occidat, tibi que dijudicandum proponitur, num possibile sit, solem oriri & occidere; notio directrix erit notio rationis sufficientis. Jam ratio sufficiens est id, unde intelligitur, cur aliquid potius sit, quam non sit, cur sit potius hoc modo, quam alio. Pone tibi rationis sufficientis loco motum solis circa terram quiescentem, quo ab oriente ad occidentem revolvitur, tum equidem evidens est, posito hujusmodi motu solis, poni etiam ortum & occasum ejus, atque adeo ejus possibilitatem oriendi & occidendi; sed admodum confuse. Nondum enim demonstrasti hujuscemodi motum solis, quo ab oriente ad occidentem circa terram quiescentem revolvitur, poni posse rationis sufficientis vice; quo itaque non demonstrato, in summa manebis ambiguitate, nec certus esse potes, an sol oriatur & occidat: summum ergo vides defectum notionis directricis, vi cuius tibi manifestum erit, ut certus sis, rationem datam esse genuinam atque sufficientem. Atque ita unusquisque videbit, notiones directrices etiam hoc in casu non minimam conferre utilitatem.

## §. III.

**Q**uandoquidem notiones directrices intellectum nostrum dirigunt in veritate cognoscenda, ne

a vero tramite ad devia aberret; patet eas etiam maximum præstare usum in arte inveniendi, quæ tradit regulas veritates investigandi; ex notionibus enim ontologicis regulæ istæ artis inveniendi, sunt demonstrandæ, quatenus ab objecto pendent. Nec minor earum est usus in demonstrando in omni disciplinarum genere, in docendo & denique in augendo acumine.

## §. IV.

**H**ilce præmissis, ad nostrum accedimus propositum, notionum directricium usum in arte medica perspecturi. Qualis itaque earum est usus in Pathologia tam generali, quam speciali, est quod in præsentiarum præcipue attingimus. Medici omnis cura eoredit, ut sanitas corporis conservetur & morbi currentur, sive ejus officium est curare, ut sanitas conservetur &, morbis profligatis, amissa restituatur. Hoc officio si rite fungatur Medicus, necesse est, ut notiones directrices sibi reddat familiares, quarum ope notitiam a priori acquirit, qua praxeos certus esse potest. In Pathologia, quæ est scientia corporis ægroti, Medico non inutile est, ut notionem morbi eamque distinctam completam habeat, unde certus esse potest, in quonam statu corpus sit constitutum, scil. præternaturali, ubi morbis laborat.

## §. V.

**M**Orbum nos cum Woflio definimus per eum corporis statum, quo una vel plures ejus partes ad

33 30 33

ad usus suos, quibus destinantur, aptæ non sunt. In  
ta oculus non erit sanus, quando ad visum depre-  
henditur ineptus; ventriculus non amplius erit sa-  
nus, quando ad cibos dirigendos fuerit ineptus; ma-  
nus non erit sana, quando non sine dolore move-  
tur, aut is ejus status est, quo motus quidam alias  
possibilis prorsus consequi nequeunt. Quare si quis  
illarum partium corporis status obtinuerit, corpus  
aliquo morbo laborat atque in statu est præterna-  
turali. Allata hæc definitio statum corporis ægroti  
a statu corporis sani distingvit, atque adeo notio  
morbi completa est.

### §. VI.

**C**UM nihil sit sine ratione sufficente, sive cum  
quicquid sit, debet habere rationem sufficientem  
ex qua intelligi potest, cur potius sit, quam non  
sit, cur hoc sit modo, nec alio; statim ex notione  
morbi, paragrapto antecedente allata, occasio da-  
tur ulterius in Pathologia causam morbi inquiren-  
di atque rationem, cur una vel plures corporis par-  
tes ad usus suos, quibus destinantur, sint ineptæ;  
de qua causa jam nobis erit sermo: observandum  
est, quando in Pathologia de causa morborum men-  
tio fit, causam efficientem intelligendam esse. Im-  
mo idem patet tum ex recensione causarum in ge-  
nere in Pathologia generali, tum ex causis mor-  
borum specialium, quæ in praxi medica seu Patho-  
logia speciali allegantur. In Pathologia generali in-  
ter causas morborum referuntur res sex non na-  
tura-

naturales; aér, cibus ac potus, somnus & vigiliae; motus & quies, excreta & retenta, pathemata ani-  
mi seu affectus. Ita iræ locus tribuitur inter causas  
podagræ, itemque nimio vini haustui. Ecquis  
vero non videt, iram & nimium vini haustum causam  
podagræ aliam non esse posse, quam efficientem?  
Fructus immaturi dicuntur caussæ diarrhœæ.  
Ecquis vero denuo non videt, eos hujus mali causam  
esse non posse, nisi efficientem? Similiter causæ  
morbi generales in Pathologia generali enumera-  
rantur plethora, cacochymia, flatas, calculi, ver-  
mes. Ecquis vero non videt, unumquodque eorum  
non posse referri ad aliud caussarum genus, quam  
ad genus caussæ efficientis? Quod si quis caussas  
morborum specialium percurrere voluerit, similiter  
patebit, eas caussis efficientibus annumerandas esse.  
E. g. hydrops ascitæ caussa dicitur esse humor a-  
quosus. Cum hydrops sit tumor quidam abdomi-  
nis, femorum ac pedum, nonnunquam & scroti,  
qui ab humore aquoso ortum habet; palam est, hu-  
morem hunc aquosum non alio sensu dici caussam  
istius tumoris, quam quatenus eundem efficit, at-  
que adeo tanquam caussam efficientem allegari. Hinc  
constat de quanam caussa loquantur medici, ubi no-  
tionem caussæ morbi evolvere volueris.

## §. VII.

**C**AUSSA in genere est principium a quo existentia  
sive actualitas entis alterius ab ipso diversi depen-  
det, tum quatenus existit, tum quatenus tale existit.  
Qua-

Quare cum morbus sit status corporis, in quo una vel plures ejus partes ad usus suos, quibus destinantur, aptæ non sunt § v; causa morbi erit principium, unde dependet actualitas illius status corporis, quo pars aliqua vel plures partes ad usus suos aptæ non sunt, & quod hæc potius partes, quam aliæ ad usus suos sint inepta. Principium est id, quod in se continet rationem alterius, cuius est principiū. Quamobrem in causa morbi continetur ratio illius status corporis præternaturalis, in quo functio unius alteriusque partis læditur, consequenter ex ea intelligitur, cur hæc vel ista pars ad usum suum ad quem destinatur, inepta deprehendatur & cur hæc vel illa potius quam alia inepta sit. Qui ergo causam morbi distinet cognoscit, is intelligit et intelligibili modo alteri explicare valet, quomodo hæc vel ista pars corporis inepta fiat, ad functionem suam obeundam & cur hujus potius, quam alterius partis functio in præsenti lædatur. Et ubi demonstrare potes, hujus in dato casu partis functionem lædi & rem illam indigitare vales, unde læsio illa pendet, ac præterea firmiter adstruere nosti, non aliunde læsionem istam pendere, te causam morbi perspectam habere certus eris. Atque sic notio hæc directrix tibi erit usui.

## §. VIII.

**C**auses morbi Medici dividunt in internam & exterioriam, atque in proximam & remotam. Remotam subdividunt in prædisponentem & procatarcticam. Ontologia his divisionibus eam affundit lucem;

quæ

quæ Medico ad certam causarum cognitionem adspiranti usui non minus esse potest, quam ea, quæ de notione causæ in genere diximus. Causa interna est, quæ intra corpus humanum existit; causa vero externa, quæ extra idem datur. In numerum causarum referuntur res non naturales, veluti cibus ac potus & excreta ac retenta. Quod si cibus aliquis vel potus fuerit morbi causa; erit ea externa; est enim cibus ac potus quidpiam, quod extra corpus datur, et si non antea noceat corpori, quam eidem ingeratur. Enimvero si fæces alvo retentæ, quæ excerni debebant, tuerint causæ morbi; erit ea interna. Similiter plethora, nimia sanguinis abundantia, intra corpus datur; si ea fuerit causa morbi, erit hæc denuo interna. Distinctio hæc causæ morbi etiam cum Philosophia prima connecti potest. Causa enim ibidem in genere dividitur in internam & externam. Causa interna est, quæ internum est principium actualitatis scilicet entis cuiusdam ab ipso diversi, veluti hic morbi. Externa dicitur, quæ exterum est principium. Jam vero principium internum est, quod in principio existit. Externum, quod extra idem datur. Quamobrem cum principiatum sit id, quod rationem sui in altero habet; morbus seu status præternaturalis corporis est principiatum, quod rationem sui in altero scilicet causa sua habet, sive ea sit interna sive externa; vides ergo, hanc distinctionem ontologicam Medicinæ etiam claram affundere lucem.

## §. IX.

**I**NTER alias divisiones causæ efficientis, dividitur ea in  
Ontologia, in proximam & remotam. Causa remota est,  
a qua effectus, intervenientibus aliis causis, dependet. Pro-  
xima, a qua effectus, nulla alia interveniente causa, de-  
pendet. Quæ differentia hac illustratur serie: A. B. C. D.  
Finge jam D dependere a C & C a B & B ab A; vides heic  
D proxime dependere a C, adeoque C est causa proxima  
rū D. Finge D porro dependere a B; sed interveniente  
causa C, adeoque B erit causa remota rū D. Hanc di-  
stinctionem quoque in arte Medica usui esse nulli dubi-  
tamus; quoniam ad causam morbi eodem applicari pot-  
est sensu, quo in Ontologia traditur. Causa morbi re-  
mota eodem dici potest sensu, quo in genere dicitur re-  
mota in Ontologia, eritque etiam proxima eodem sensu,  
quo ea in ontologia vocatur. Qua de re si dubites, de-  
mus exemplum. In Pathologia generali, plethora refer-  
tur in numerum caussatum morbi, jam vero plethora  
suas denuo habet causas, veluti cibi admodum nutrientis  
& potus nimiam quantitatem sumtam. Quamobrem cau-  
sa una morbi est effectus alterius causæ. Pone jam morbum  
dependere a plethora tanquam causa sua; erit ea pro-  
xima, quia nulla alia causa intercedit; pone etiam cibi  
admodum nutrientis & potus nimiam quantitatem sumtam  
esse morbi caussam, sed interveniente alia causa scil. ple-  
thora; erit ea remota. Similiter inter causas morbi in  
pathologia generali recensentur calculi & vermes. Ne-  
mo non novit, & calculos & vermes in corpore huma-  
no generari, consequenter dantur eorundem causæ in  
ipso corpore. Atque adeo si in solis causis internis  
subsistas, vermes atque calculi sunt causa morbi proximæ,  
effectus autem alterius causæ, quæ respectu morbi  
remota est. Itaque nullum superest dubium, quin caus-

ſe morbi proximæ & remotæ eo dici possint sensu, quem vocabulis istis tribuimus in Ontologia. Hinc etiam Sennertus cauſam proximam definit per eam, inter quam & mœbum nihil intercedit, remotam vero dicit, inter quam & effectum alia propior cauſa intercedit; quæ definitio maxime convenit cum ea, quam nos ex Ontologia exposuimus.

## §. X.

**I**N morbis præcavendis & tollendis, hæc notio directrix sive ontologica, scilicet distinctio cauſæ in remotam & proximam, Medicis multum conducit. Etenim morbi præcaventur, si cauſæ remotæ a corpore arceantur, tolluntur, si cauſæ proximæ tollantur.

## §. XI.

**C**AUſſa morbi remota dividitur in procatarcticam & prædisponentem. Procatarctica dicitur etiam  $\pi\varphi\alpha\tau\tau\eta\zeta$  seu occasio. Hanc cauſam definit Sennertus per eam, quæ latentes in corpore cauſas excitat & movet. Ponamus aliquem mœrorem incidere in melancholiā, vel prorsus in amentiam vel furorem. Quoniam hunc non semper experimur tristitia ingentis effectum; melancholia, amētia & furor ab ea cauſa sola proficiunt nequit. Necesse igitur est, ut corpus jam alia de cauſa ad melancholiā, amentiam vel furorem ita sit dispositum, ut tristitia accedente morbus hic cerebri producatur. Quamobrem mœror animi seu ingens, quo quis affligitur tristitia cauſa procatarctica est. Quod si supponas esse in corpore rem quādam qualiscunq; tandem ea fuerit, quæ juncta mœrorem effetur tam noxiūm producere potest, nec a mœrore solo, nec ab ipa ſola producendum, sive mœror cauſam iſtam quo- cunq; modo in actu cauſandi constituat, sive locias vires præſtet, seu quoceunq; modo una cum altera illa cauſa iſis in mœbum influat; dicetur etiam hoc sensu mœror seu ingens tristi-

tristitia causa melancholie, amentiae, furoris procatarctica, aut, si mavis, ejusdem occasio. Ponamus cibum aliquem ventriculo ingestum non noce-  
re corpori, accedente autem potu vel cibo altero excitari diarrhoeam vel  
dysenteriam; erit potus vel cibus alter dicendus diarrhoeæ vel dysenterie  
causa procatarctica. Apparet adeo caussam procatarcticam infuse quidem  
in genesis morbi, sed per se non aptam esse ad eundem produendum.  
Nimirum vel supponit aliquam mutationem, jam antea ab aliis caussis par-  
ti cuidam corporis inductam, vel caussam aliquam, quam immutat & hac  
ipsa immutatione in actu caussandi constituit, vel cui vires suas conjungit,  
ut quod separatis fieri non poterat, coniunctis fiat. Atque hinc colligitur  
caussas procatarcticas omnes non esse unius ejusdem generis, ut adeo sen-  
su laxiori fieri debeat interpretatio verborum Sennerti, quando affirmata  
caussas procatarcticas excitare & movere latentes in corpore caussas.

## §. XII.

**C**aussa prædisponens dicitur a Galeno dispositio, quam sequi seu a qua  
generari morbus aptus est. Vocatur προνύμενη. Talis est ple-  
thora, quippe quaæ morbum non actu producit, sed corpus ad mor-  
bum disponit, ut accedente alia caussa generari posse. Convenientius for-  
san dici poterat, caussas prædisponentes esse caussas, quaæ corpus ad mor-  
bum generandum aptum efficiunt, aut, si mavis, mutationem quandam in-  
ducunt, ut accedente jam alia caussa in morbum incidere queat, quem al-  
ias eadem minime producere poterat. Atque hujus caussæ ambitus latius  
patere videtur, quam vulgo statuitur. Etenim Medicis caussæ prædisponen-  
tes tantummodo internæ sunt, atque adeo potissimum ad fluida referun-  
tur & res toto genere præter naturam, seu quaæ totæ præternaturaliter  
generantur in corpore, veluti calculi & vermes. Veteres nimirum in mor-  
bis magis ad fluida, quam solida respexere. Sed impossibile non est, ut  
etiam partibus solidis, immo & fluidis a caussa quadam externa indu-  
catur quadam mutatio, vi cuius disponitur ad morbum quandam alia  
caussa ac edente suscipiendum, sive mutatio ista sit effectus permanens, si-  
ve transitus. Atque tum caussa illa externa prædisponentium numero non  
huiusmodi accensetur. Sane quemadmodum morbi prædisponentes caussæ in-  
ternæ ideo cognoscendæ, ut iis, tempestive sublati, morbi an-  
tevertantur; ita externas nosse prodest, ut præcaveantur.

SOLI DEO GLORIA.

## §. XIII.

## DN. MARTINO FRIDERICO BOTHNERO!

**C**onmoda quævis acqvirenda, multos labores ac difficultates haud exiguae suppñere, ipsa experientia, cuius in aprico ponit; quippe qui virtute aliqua inclarescere cupit, multa ardua pati tenetur. Maxime vero illi dura occurunt, qui arva Musarum colendo ad honoris culmen pervenire admititur; quamobrem etiam Poëtarum commenta ferunt, Musarum sedes, licet in amoenissimis, altissimis eamen adituqe difficilimis rupibus sitas esse, quo ipso notum facere voluerunt, earum cacumina neminem, nisi post multum exantlati laboris, attingere posse; At qui virtutis studio atque amore ardent, non patientur se a spinis molestiisque bujus via deterreri, sed flagrantes sincera in Deum pietate et firma constantique entendi sedulitate hac omnia tandem exsuperant, euultantur et victoriam triumphumque de hisce reportant exoptatissimum. Qvod ecquidem ingenue, Tu Præstantissime Domine Auctor, te fecisse, licet olim fortuna, in muneribus que sue sunt dispensationis conferens, nōverca u'entem, jam vero curis stipatum variis et inter oves oviumque Magistros, vigilias gregis Christi agentem diligentissimas, specimine hoc eruditionis, De Līsa Notionum Directricum in arte Medicina, satis superque testaris. Et quemadmodum tua, Præstantissime Domine Auctor, Egregia Indoles et studium indefessum mihi ab initio sodalitii nostri in pulvere Scholastico exemplo innoruit, ita eadem insigni hocce jam elucubrato Opere publico omnibus conspicienda præbes. Me vero Tua amicitie et officiū mei penitus immemorem non injuria accusades, si letitiam hinc a me captam publice non erumpere sine rem. Quapropter ex animo gratulor Tibi ingenium facundum, egregiam in porticu Minerva navatam operam et deniq; virtutem prorsus laudabilem. Ac de reliquo ex corde voveo, velit Summum Numen, cunctis conatibus tuis honestissimis semper ex alto benedicere, Tuaque fata ac studia ita dirigere, ut vergant insui Nominis gloriam, Ecclesie Dei edificationem, Tuum tuorumque solatium ac commodum: in quo uoto permanebo.

ELIX. Q

tuus integerius

JONAS SPOOF.